

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

II. De cruciatibus singulorum vitiorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

suo scelere alligatus ; de cujus cordis spurcitia et horrendissimi oris cavea indesinenter peccata effluunt omnia, pœnæ, dolores, scandala, per quæ infernus, purgatorium [et hæc terra] miserabiliter cruciantur. In inferiori inferni loco est ignis, tenebræ, fœtor et horror, omniumque pœnarum genera, ibique Christianorum animæ juxta sua merita dispositæ puniuntur. In media vero parte omnis est pœna mitior, in qua Judæi secundum sua opera puniuntur. In suprema vero parte pœna tolerabilior est, ubi Gentiles malorum suorum recipiunt talionem. Hi *in suis cruciatibus* sic exclamant : Væ nobis ! quia si legem naturæ servassemus, pœnam hanc horrendam non sustineremus [æternam]. Et exclamant Judæi dicentes : Væ ! væ ! Si Dei voluntati secundum doctrinam Moysi paruissemus, damnationem hanc perpetuam non incurrissemus. Super omnes Christiani vociferantes ululant, quod collatam a Christi charitate sibi gloriam per voluntariam suæ perversitatis amiserunt miseriam. Horridissimum Luciferi vultum sine intermissione cum dolore maximo speculantur, et coram eo nudi in suis turpitudinibus versantur. O quam pudibunde suscepti et horribiliter salutati et amarissime allocuti audiunt dicentem : Vos maledicti mecum, quale hic gaudium nunquam narrari audivistis ; et unde vobis complacuit *quod ad me venire voluistis ?*

II. DE CRUCIATIBUS SINGULORUM VITIORUM.

TUNC *crudelibus manibus* superbos principaliter rapiens, sub suaque cauda deprimens dicit : Non adeo in profundo *damnationis* sum mersus, quinimo adhuc vestra volo elationis stultitiæ superferri. Sodomitæ per collum ejus ingressi in ventris ejus tenebris retinentur ; inde cum expirat, exeunt, et cum respirat denuo revertuntur. Hypocritas in suo sinu collocat et horrendo ore deosculans sic alloquitur : Vos consortes mei estis, nam et ego vanæ speciei colore seductus fui, per quem vos et omnes me sequentes sunt seducti. Usurarium semper rodit, improperans quod miseri-

cors nunquam fuit. Raptorem primus spoliat et agitandum et percutiendum sine misericordia suis consortibus deputat. Fur ibi levatis sursum pendet pedibus, lucerna factus dæmonibus, nec tamen clarius videtur. Qui hic fornicando cohæserunt, illic coram Lucifero sic jacebunt; quorum si alter defuerit, ejus vicem dæmon supplebit. Infideles philosophi coram pedibus residebunt Luciferi, ut quem coluerunt confusi aspiciant; coram quo disputante et de eisdem concludente obmutescant. Avarum *diro morsu* devorat, quia semper habendi cupidus extiterat; quem cum deglutivit, per posteriora turpiter digerit. *Viri sanguinum* occisores hominum, coram ipso perfusi sanguine astabunt, et ignitorum gladio- rum ictus a dæmonibus sustinebunt. Qui hic dira moventur invidia, ejus erunt olfactoria ad nares pendentia. Qui crapulæ vacant et ebrietatibus, sitis ac famis [coram Lucifero] arescent cruciatibus; ignitos rodunt lapides, torrentesque bibunt sulphuris [et picis], amara sumentes pro dulcibus. Piger cunctis doloribus onerabitur. Iracundus igneis flagellis, atteretur. Joculator, qui vanitates provocat, amaras fundet lacrymas, *æternas sustinens tristitias*.

Vidi fundum sub Lucifero inferni, saxum nigerrimum et durissimum, super quo civitatis hujus consistit ædificium in æternum; et licet infernus initium non habet vel fundum, ordine tamen divino nec fundo caret nec profundo. Qui quomodo in se fremens sit et frendens, qualiter se cum dæmonibus angeli flagellentur, quis sit modus decoquendi vel assandi, quemadmodum fluctuent vel transnarent in illo fœtore, igne, vermibus et luto, qualiter in sulphure et pice demergantur, nec ipsi nec aliqua creatura poterit enarrare.

III. NULLA PROSUNT DAMNATIS REMEDIA.

CUM auxiliante Deo has pœnarum diversas miseras respexissem, infirmatum est miserum corpus meum ex fœtore, et inconsueto calore adeo læsum, quod nec ambulare valui vel sedere; et per triduum omnis humani sensus sic impotens permansi tamquam homo tonitruo fulminatus.